

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesammtausgabe der Quellenschriften
deutscher Geschichten des Mittelalters.



Siebenter Band.

Hannover.

Hahn'sche Buchhandlung.

1882.

Ungedruckte Briefe.

Mitgetheilt von E. Dümmler.

Die folgenden zwei Briefe hat Herr Prof. Dümmler uns zum Abdruck freundlichst mitgetheilt.

Der erste befindet sich in der Pariser Hs. Lat. 11890 (Résidu Saint-Germain pag. 94—5, 5. Carton A) fol. 1, auf einem Pergamentblatt saec. XI. Die Hs. besteht übrigens aus zusammengebundenen Blättern neueren Ursprungs.

Der zweite geschichtlich wichtigere Brief betrifft den Zeitpunkt nach dem Tode des Bischofs Friedrich von Lüttich, den der Erzbischof Friedrich von Coeln gegen den Bischof Alexander aufgestellt hatte, am 27. Mai 1121. Nicolaus ist vermuthlich der Domherr, welcher das Vorwort zu den Schriften des Algerus verfasst hat. Der Brief steht am Schluss der Brüsseler Hs. 9918—19 saec. XII, fol. 57.

I.

Licet cunctis in partibus orbis multis innumerisque locis longe lateque regularis preclaraque beati diligenter observetur traditio Benedicti, maxime tamen nulli invida, immo omnibus grata vestre excellentia religionis exemplar sive speculum universis dignitatibus monasticę supereminet conditionis. Unde fit certumque tenemus, ut complures iam emerito virtutum culmine maturaque morum honestate in sanctę gremio ecclesię prefulgentes ad examen vestri undique circumfluant magisterii, zelantes potius egregię astrui rudimentis doctrinę. Mox autem penitus postpositis suę insignibus elegantię instrumentis cervices humili devotione legi karitative subiugant discipline. Hinc itaque mellifluę ineffabilisque emulatores sapientię obsequendo vetre pio ducatus paternitatis informari celebrandę inardescunt exemplis benignitatis. Cum igitur in beato grege vestro tot tantaque redolentium florescant insignia virtutum, ordo proinde divinę postulat misericordię, ut quod virtutis superne gratuito munere sumpstis, omnibus maxime vestre domesticis professionis retribuere procuretis. Et quoniam karitas nullatenus suam querit voluntatem, regio cuius munimine septi antiqui

oppugnationes adversarii expugnare prevaletis, congruum putamus, ut toto mentis corporisque conamine proximis necessitatibus subvenire debeatis. Huius igitur instigatione virtutis precipue vehementer excitati, ceterorumque auctoritate bonorum, quorum presidia in vestra vigent conversatione, suffulti, vestram humiliter imploramus, implorando obsecramus misericordiam, ut unum de fratribus vestris patribus nostris pastorem sollicitum animarum rectorem nostrę pusillanimitati adsignare dignemini. Ne autem prolixo conexorum funiculo verborum longius vestram protrahamus audientiam, domnum Witcherium compatriotam nostrum omnes unanimes una affectuosaque conspiratione exobtamus, exobtando suppliciter exposcimus. Hunc de vestris omnibus superna mentibus nostris gratia inspiravit, hunc fidelem nobis preceptorem preelegit, hunc spirituales vitę nostrę procuratorem presignavit. Hunc¹⁾ igitur, patres venerandi, ex karitatis munere necessitati nostrę transmitti misericorditer deprecamur, quem sancto agente spiritu valde necessarium nobis fore confidimus. Sit itaque vestrę benignitas pietatis inestimabilis consonans sententię dispositoris, sit vestrę sullimitas²⁾ dilectionis condescendens condescendendo fraternę consulens imbecillitati. Valete.

II.

F.³⁾ gratia dei sancte Coloniensis ecclesie humilis minister toti clero qui Leodii est, scrutari testimonia Domini, ut in toto corde exquirant eum.

Litteras vestras ad nos per fratrem Nicolaum directas paterno affectu recepimus, qui in his et nostram desiderare videmini presentiam et tamquam filii obedientie nostro corrigendum obtulistis consilio, si quid vestro excessistis arbitrio. Unum vobis notum fieri volumus, quia ad vos descendere et debita pietate vobis consulere parati fuissetus, si excessus vestros tam manifestos, tam contrarios decretis sanctorum canonum nostraeque auctoritati et vestrae saluti non perspexissemus. Defuncto enim beatae memoriae domno Frederico episcopo vestro, litteras consolatorias vobis direximus, desolationem vestram paternis lacrimis deplorantes, et ut in Domini consolatione spem vestram defigeretis, affectuose vos exortantes. Set quia tunc temporis occupati tenebamur magnis ecclesiae et inperii negotiis, ut vestram ad nostrum consilium et reditum differretis electionem, debita auctoritate monuimus, qui vestre pusillanimitati et temporali pace et nihilominus canonica electione consultum esse voluimus. Vos autem interim, divinae institutioni et nostrae ammonitioni non adquiescentes, in conventum vestrum multitudinem⁴⁾ eorum, qui vestra petitione

1) Nunc Hs. 2) So Hs. 3) C. Hs. Aber von 1100 bis 1131 war Friedrich Erzbischof von Coeln. 4) multitudine Hs.

a domno papa, a nobis, a vestro etiam episcopo excommunicati habebantur, admisistis, ibique nostre auctoritati preiudicantes, communicato cum excommunicatis consilio, ea quae destruxeratis reedificando, quod sine gravi dolore loqui non possumus, vos ipsos prevaricatores excommunicatorum consortio contaminatos constituistis. Habemus quidem huius miserabilis culpaeevidens argumentum litteras vestras, tam Coloniensi ecclesiae quam venerabili filio vestro Andreae¹⁾ missas, in quibus²⁾ in dominum et episcopum vestrum vos recepisse satis inconsiderate significastis, et ad cumulum inexcusabilitatis vestrae conspirativa confederatione subiungendo affirmastis, nullum vos velle vel posse contra eum recipere consilium. Quod si in hoc conspirastis, ut quid queritur descensionis ad vos vel consilii nostri presentia? ut quid ore et scriptis vestris frequens et assidua nobis demandatur obedientia, quam destruit conspirationis huius, ut asseritis, fixa cordibus vestris insolentia? Miramur et non parum miramur, quomodo vos totiens appelletis scribendo totam Leodiensem ecclesiam. Nam ut taceamus de archiepiscopi dignitate, qua membrum excellentius debemus esse Leodiensis ecclesie, fraternitatis nostrae dilectio, que hactenus particeps et socia fuit tribulationum³⁾ vestrarum, contemptuose videtur repudiata. Si iterum contaminati communione excommunicatorum estis tota Leodiensis ecclesia, quorsum excluditis eam quam tantum cognoscimus et fatemur Leodiensem ecclesiam, prepositum Andream et archidiaconos Heinricum et Stepponem, magistrum Stephanum et religiosos abbates aliosque, qui licet locorum diversitate disiuncti, tamen in unitate spiritus vobiscum sunt fratres? Hos procul dubio Leodiensis ecclesia⁴⁾ testatur bonae simplicitatis obedientia et persecutio quam passi sunt et cotidie patiuntur pro iustitia. Set et hoc reticere non possumus, quod contra sanctorum canonum statuta neglecto⁵⁾ immo contempto crismate anni presentis et oleo, de veteri plures annos reservato, per quorundam vestrum archidiaconatus adhuc fiunt unctiones a sacerdotibus, contra canones et nostram auctoritatem per inobedientiam cum excommunicatis divina celebrare praesumentibus. Longum est enumerare, quot et quantis excessibus Domini provocastis longanimitatem et in nostram presumptuose egistis auctoritatem, quia non solum ab ecclesia Dei vos alienastis, set et eos qui sincere nobiscum usque nunc permanserant, in prevaricationis⁶⁾ vestrae consortium pertraxistis. Quia ergo his excessibus tam manifestis et Deo

1) Ohne Zweifel der unten erwähnte Domprobst, welcher in der Vita c. 9 als bei Friedrich's Tod anwesend und demnächst zum Bischof von Utrecht erhoben genannt wird. 2) Der Name Alexanders ist ausgekratzt. 3) tribulationis Hs. 4) Nämlich, dass sie Leodiensis ecclesia sind, wenn man nicht lieber 'ecclesiae membra' schreiben will. 5) neglecto Hs. 6) preucat. Hs.

odibilibus non debetur paternae consolationis visitatio, set magis infligenda est condigne severitatis increpatio, ad sedem Coloniensem, cui tam grave intulistis preiudicium, vos invitamus, ut si excessus vestros sicut scripsistis nostro corrigere volueritis consilio, exemplo patris euangelici prolem quae perierat gratanter recipiamus sub utriusque, Coloniensis videlicet et Leodiensis ecclesiae, quae nobiscum est, testimonio. Verumtamen ex superhabundanti, si vestra hec efflagitat humilitas, apud Sanctum Cornelium Indae cum filiis predictarum ecclesiarum vobis occurremus IIII^{to} Nonas Septembris, parati misericorditer recipere in spiritu lenitatis et correctos instruere, et quoniam Alexander per Godescalcum Traiectensem clericum obedientiam et subiectionem nobis presente ecclesia demandavit, et se velle de omnibus suis excessibus nostro adquiescere consilio per eundem nobis insinuavit, III. Non. Sept. nos in predicto commoraturus cenobio eidem remandavimus, ut, si forte velit aliquid rationabiliter dicere¹⁾ ad aures ecclesiae, audiatur. Si quis autem inter vos habet zelum Domini, eundem ammonere, arguere, increpare, obsecrare, orare non dissimulet, ut sibi ipsi propitius parcat Christi ecclesie, nec incipiat infamis haberi, totiens per domnum apostolicum, per nos, per suum episcopum eiectus a sancte matris ecclesie liminibus. Plures enim repulsae personam eius infamem sicque reddunt ecclesiae notabilem, ut non solum id quod male nititur non apprehendat, set et honoris et ordinis pericul(um) subeat, quos adhuc retinere ex affectu maternae pietatis ecclesiae mansuetudo tolerat. Hec vobis, fratres carissimi, scribimus in spiritu caritatis, non ut vos confundamus, set sic ut per priores litteras promisimus, ut tam spirituali quam temporali pace consolandos ad sinum matris ecclesiae reducamus.

1) Die mittleren Buchstaben sind unlesbar.